

17890.

C o m m e n t a t i o
MEDICO-INAUGURALIS
DE RHINORRHAGIA,

QUAM,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIFISCATUR,

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM CAESAREA
DORPATENSI,

BENEVOLO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

AUCTOR

ERN. FRIDER. CHRIST. LUDOV.
SCHERING,

ZELLENSIS.



DORPATI LIVONORUM,
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI.
MDCCCXVIII.

Inprimatur,
ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, antequam di-
stribuatur, septem exemplaria ei Collegio, cui censura libro-
rum mandata est, mittantur.

D. XXVIII. Aug. MDCCCXVIII.

D. Martinus Ernestus Styx,
Censor.

D 19226

*Haemorrhagia narium, Rhinorrhagia, Epistaxis, Stillicidium sanguinis e nari-
bus nominatur effluvium sanguinis ex una
vel utraque nare, id quod, ex dilatatis vel
laesis membranae Schneideri vasis, ipsum
naris cavum ejusque adjacentia cava vesti-
entis, oritur atque irregularem eorum vita-
litate[m] ponit.*

Diagnosis.

*Activam et passivam haemorrhagiam
narium distinguimus. Priorem topica sem-
per, nonnunquam ipsis medici sensibus
percepta febris comitatur. Quin vero ocu-*

lis cernimus sentimusque arterias nasales, laterales et carotin ipsam pulsare. Tum sanguinis emanatio, auctae vasorum oscillationis causa, acrior, vehementior, quasi radiosa, adeo ut (impellens vis) impulsus ipse vasorum cernatur. Unde fit ut hoc sanguinis profluvium semper ex systemate arteriarum oriatur. In passiva tantum et symptomatica epistaxi, in senectute et si causae tantum extra positae adsint, haec emanatio sanguinis ex venoso systemate haud dubie provenit. Lentum autem velut exiguis intervallis interruptum sanguinis stillicidium venosam ejus originem nullo modo arguit, quippe in typhoso et paralytico malo haud absimilia phaenomena, rhinorrhagia ex vasis arteriarum prosiliente, adesse solent. Diagnosi hujus profluvii, si nariibus funditur sanguis, e vasis membranae Schneideri profluens, luce clarior est. Sed

nares non semper atrium effusionis efficiunt. Videlicet si sanguis potius ex retro sitis membranae pituitariae vasis exoritur vel si anticae nares opposito cruore obturantur, tum sanguinis profluvium viam sibi munit per nares posticas in fauces, et secundum leges gravitatis ad laryngem deprimitur vel ad gulam. Illud si acciderit, tussi spasmodica, si hoc, aegre vomituriendo vel vomendo in os expellitur sanguis, adeo ut epistaxis cum haemoptoë vel haematemesi commutari possit. Quamquam peritus et sollers medicus hunc errorem facile fugit, quippe non in utroque tantum casu, sed tum praecipue, cum speciosa est haemoptoë, et color et densitas ex ore promanantis sanguinis, verum, unde profluebat, fontem indicant. Huc accedit quod partim defectus omnium ceterorum signorum pathognomicorum haemoptoë et haemate-

mesin indicantium, rem explicat, partim denique mollientes et leniter irritantes infusiones in nares, unde anticae earum partes liberantur, adeo ut sanguinem emittere possint, omnem dubitationem tollunt. Et stillicidium et modica sanguinis promanatio plerumque ex una tantum nare et fere semper ex eadem provenit, quoties repetitio in uno eodemque homine fit. Contra activus vehementer prorumpens cum manifestis arteriarum pulsationibus conjunctus sanguis semper fere ex utrisque naribus, nec raro quidem ex ore simul, profluit. Aetas infantilis et puerilis ante pubertatem, tum praecique virilis sexus, tenera et vicens corporis structura et eminentia ingenia in hoc malum saepissime incidunt. Scilicet aetate infantili et puerili vasa cerebrialia nimis semper implentur ob ingentem sanguinis copiam et incitamentum, quod ulteriori forma-

tione basis cranii, nondum in os omnino mutatae, continuata evolutione nonnullorum sensilium organorum et consolidatione atque effictione substantiae medullaris efficitur. Quae quidem major irritabilitas sensorii communis et systematis vasorum eminentia ingenii, tenuitate et flore corporis manifestatur. Attamen nulla hominum aetas immunitatem hujus mali habet, si quidem causa sufficiens existat, ad idiopathicam vel symptomaticam narium haemorrhagiam efficiendam. Quin deprehendebatur etiam in infantibus recens natis, cum varicosae vasorum dilatationes in causis essent.

Adventum haemorrhagiae narium plura omnino phaenomena praenuntiant, quae aliter in activa atque in passiva apparent.

Activam haemorrhagiam hujusce formae subinflata, rutila facies, et rubicunda albuginea, splendentes oculi, igniculi et ru-

bellae flammae vel aliae lucidae phantasmagoriae ob oculos versantes, lacrymae eorum vel repente obscuratus vultus, quod quidem transit et certe, haemorrhagia incipiente, confestim cessat, vehemens, pungens vel premens capitis dolor super radice nasi, cum cervicum etiam temporumque pressione conjunctus, vehementer aucta pulsatio arteriarum temporalium et carotidum, vertigo cum hebetudine mentis, tinnitus vel strepitus aurium, sensus plenitudinis, siccitas, aestus, pruritus vel punctio nasi, externus rubor ejus, propensio ad sternutationem, quacum haemorrhagia saepius erumpit, antecedunt.

Præter haec quidem phaenomena topica alia etiam in aliis organis occurrentia observamus. Eo pertinent: pulsus dicrotus, horror, angor, palpitatio, sensus tensionis præcordiorum et regionis inguina-

lis, spasmi internarum vel externarum corporis partium, alvus adstricta, pallida urina. Attamen haec modo memorata signa minus saepe quam illa occurrunt. Activam haemorrhagiam narium comitantur semper febriles motus, quamvis ob levitatem suam saepe negligantur. Critica vero haemorrhagia narium semper activam vim habet. Hujus modi haemorrhagia narium saepius plerumque et deinceps repetitur. Quamvis autem copia amissi sanguinis pro tempore et complexione hominis valde variat, vis tamen vasorum praecavet, ne ninia et delibitans copia sanguinis exhaustur.

In *passiva* haemorrhagia narium haec signa antecedentia plerumque desunt, praecipue quidem si externa quadam vi agente nasceretur. Attamen nonnulla quoque jam sequentium, adventum ejus indicantium

phaenomenorum plane deprehendebantur: occupatum et gravatum caput, maxime circa frontem, somnolentia, aegritudo, vertigo, plenitudo nasi. Tum sanguis immodice saepe profluit, imminuta repugnancia orificiorum vasorum. Longe maxima ejusmodi haemorrhagia in Actis Eruditorum Lipsiensibus 1688 pag. 205 squ., memoriae mandata est, cum fusus sanguis spatio decem dierum septuaginta quinque pondo efficiebat, salvo etiam aegrotante. Singularem vero casum, ubi sanguinis profluvium ex venaesectione in superficie nasi facta existebat (Decas II, Ann. II, Observat 154.) nec non alium, in quo non ex naribus tantum sed simul etiam ex canthis profluebat sanguis (Dec. III, Ann. II, Obs. 132.) Ehpermerides naturae curiosorum commemorant. Profluvium nonnunquam certis temporibus, s. periodice, fit; tum vero praecipue res-

picienda est conditio organorum abdominalium. In singulis casibus immediata mors sequebatur. Quod praecipue valet, si grandiori aetate occurrat, quippe non sine imminente periculo vel certe sine gravioribus sequelis accidere solet. Et passivis haemorrhagiis narium nonnunquam febriles motus praecedunt vel haemorrhagia narium spatio efformatae febris existit. Fusum vero sanguinem non semper cessatio phaenomenorum subsequitur, quae passivae epistaxi consuetas causales congestiones innuunt; omnino tamen durante profluvio facies magis magisque pallet et temperatura ejus imminuitur.

Symptomatica Haemorrhagia narium creberrime in asthenicis febribus vasorum, praecipue in febre putrida, post oppressas alias normales vel consuetas abnormes haemorrhagias, in febrilibus exanthematibus,

cet. efficiunt. Et venae brachiales axillaresque in venam subclaviam sui lateris exonerantur, quae si sanguinem, ex causis jam memoratis, excipere non possit, venae etiam brachii hujus lateris nimis onerentur et mutationes illae pulsus arteriae radialis existant, quarum supra mentio fiebat, necesse est.

Aetiologia.

Proxima causa activae haemorrhagiae narium est praeter normam aucta vitalitas totius systematis vasorum vel praecipue ejus partis quae in membrana Schneideri diffusa jacet. At facultas reagendi in ultimis externis orificiis horum vasorum minor est nec sufficiens omnino, quae sese urgentem propulset sanguinem. Si necessariam reagendi facultatem haberent, inflammatio manifesta membranae pituitariae Schneideri,

non morbosa inde emanatio sanguinis fieret. Contra proxima passivae haemorrhagiae narium causa in diminuta reagendi facultate vasorum illius, quam saepius memoravi, membranae, praecipue in relaxatione vel ut summum apponam, in debilitatione quadam orificiorum quaerenda est, qua impediuntur, quominus alio incitamento morboso aliorum organorum, consociatis vasis secum connexorum, sese urgentem sanguinem retineant, cujus perruptionem e contrario leviolem reddunt. Huc accedit quod instans sanguis simul minorum habeat crasin (quod vetere sermone solutionem significat) vel respectu hujus craseos in normali relatione omnino versetur.

Internae seu praedisponentes causae hujus haemorrhagiae sunt: juvenilis aetas, masculinum genus, plethora, sanguineum temperamentum, maturior vel acrior et te-

nacior cura, quam quis gravioribus impendit studiis, innata, et praevalens incitabilitas systematis vasorum, phthisicus habitus, scrophulosa dispositio, calidus aër, calidumque cubiculum, insolatio, subitus calor veris post acrem hiemem, adstrictior fascia collaris, aneurismatica vel varicosae vasorum extensiones.

Ad remotiores pertinent: malus narcoticorum remediorum usus, praecipue opii, item spirituosarum potionum, methodi systema vasorum incitantis, ciborum carnearum, cum nimis conditis vel aliis incitantibus cibus; vehementes animi motus, quibus excitandi vis inest, prae ceteris ira, stomachus, gestiens laetitia, acres, incitabiles rigidique odores, praecipue tabacum gravioris generis, crebrior sternutatio, clamores, emunctio narium, tussis, organa quae inflantur, nimis vehemens motio vel alius cor-

poris aestus; nimis fotum caput et alvi vel pedum refrigeratio, planior situs, adeo ut caput fere dependeat; crebrior catarrhus; scarlatina; morbilli, ozaena et polypi nasi; externa in nasum vel caput facta vis; insecta, et vermes in nasum irrepentes acres, saepius redeuntes capitis dentiumque dolores; insolita aëris natura, quae haud raro vere epidemicam narium haemorrhagiam efficit; graviditas, oppressio consuetarum et normalium haemorrhagiarum, vehementis nisus in alvo exoneranda, hydrops, tympanites, scorbutus, incitamentum biliosum, viscerum abdominalium infarctus, tumores, quibus venae jugulares comprimuntur, spasmi abdominales. Est quidem hoc malum totis familiis proprium; in nonnullis etiam haereditarium observabant. Denique singularia reapse valde mira et inexplicabilia sunt documenta idiosyncrasium,

quibus res, quae in nullum alium parem vim exserere valent, haemorrhagiam narium efficiebant. Sic sonitus campanarum in uno, in altero pomorum et rosarum odor; in tertio autem visus capitis vitulini; denique in alio homine quod radix nasi millefolio terebatur, causa erat. (Vide Plouquetii biblioth. s. init.)

Prognosis.

Equidem nescio an inter perniciosissimas quamvis multis medicis probatas opiniones numerandum sit, quod haemorrhagiam narium, nisi simul ac semel nimia sanguinis jactura fiat, levem exitu esse putent. At iudicium, quod de gravitate amissi sanguinis fertur, non ex copia ejus sed ex natura mox sequentium phaenomenorum petendum est. Frigus membrorum, pallor oris, pulsus parvus, vacuus, tremens, diu-

turnum animi deliquium, extrema infirmitas — si phaenomena haecce subsequantur, aegrotus jam antea infirmitate et cachectico malo laboraret, promanans sanguis sisti non possit, nec nisi tarde profluat ideoque paralytica vasorum orificia innuat, si decolor, putridus, solutus sit, si haemorrhagiarum cum vehementia quadam et saepius in febribus valde asthenicis et chronicis morbis redeat; tum prognosis admodum anceps et summum quoque vitae discrimen subest, (vid. Huxhamii Op. T. II., c. 5, p. 66). Quin crebrior haemorrhagia narium in juvenibus maxima attentione digna est, quippe quae haud raro propensionem ad haemoptysin, perniciosas inflammationes pectorales et hydropem denuntiant, quae mala post initam pubertatem sensim sensimque apparent; eadem inclinatur ad rheumatismum vel arthritidem anomalam

et serius nonnunquam in haemorrhoides transit. Nec minus anceps et perniciosior etiam est seriore aetate, ubi suspectum symptoma irregularium motuum haemorrhoidalium fit et saepe apoplexiae gravibusque debilitationibus antecedit; nec non interiorem destructionem significat. Activa vero haemorrhagia narium, quatenus semper fere intra modum stat, salutaris sanè putanda, cum praesertim complexionem et alias rationes individui, cum natura simul forsitan coexistentium morbosorum symptomatum, quorum vi apparuit, comparando respiciamus. Quin temeraria oppressio nullo pacto ancipitis haemorrhagiae narium inflammationem cerebri et pulmonum, phrenesin, apoplexiam, haematemesin ceteraque acuta et chronica mala pessimae notae efficere valet. Raro tantum artificiales evacuationes sanguinis, quae vicariam

operam praestare debent, oppressam, naturae omnino convenientem, haemorrhagiam narium reparant.

Medendi ratio

Versatur necessario circa activam et passivam haemorrhagiam narium.

A. *Activa haemorrhagia narium.*

Modica omnino non requirit, ut mox sistatur, quod quidem, ut jam antea innuimus, in summum discrimen adducere potest. In ipsa sanguinis jactura certissimum inest remedium, quo aucta praeter normam activitas systematis vasorum et inde dependens sanguinis orgasmus sedatur. Cave igitur ne haemorrhagia impediatur, quin committas potius ut stimuli accessori, quae nocere possint, omnesque congerentes causae abalienentur. Erectum corpus, refrigeratum caput, mitigantes leniter exonerantes clysteres sedativi, tepida pediluvia et

semicupia, frigida frontis lavatio adeo tamen ut nulla a frigore noxa inde proficiscatur — haec hoc loco solum necessaria sunt, nec arti permissum sit, ut majorem adhibeat vim. Sin character synochae acriter praevaleat atque activitas systematis vasorum ancipiti gradu aucta sit, tum non omnia solum incitamenta moderanda vel fugienda, sed nimia etiam vitalitas cito atque apto usu methodi debilitantis cum sedativa diminuenda est, ne in phrenitidem, dementiam, apoplexiam, inflammationes cet. abeat. Ubi vera plethora cum nutribili victu, levi motione, juvenili aetate vel etiam apoplectico habitu conjuncta adsit, ibi pro magnitudine sanguinis missio in pede, nimiae vitalitati accommodata, utilis erit. Si aliae cruentae evacuationes subito oppresae sese immiscuerint, necessitate coactus hirudines et vaporaria illis organis applices,

ex quibus priores proficiscebantur haemorrhagiae. Simul vero frigida fomenta aequa portione aquae et aceti, fronti, naso et cervicibus applicata adhibentur, quae saepius repetenda sunt. Urgente autem necessitate totum pilis destituitur caput et priora vel nota *Schmuckeri* fomenta ei adponuntur. Dum vero haec remedia adhibentur, aegrotus sedeat erectus et pedes supra suras in tepido pediluvio teneat, ut tamen omnis a frigore noxa diligenter prohibeatur. Naribus hausta frigida aqua cum aceto, quod hoc loco nonnulli commendarunt, certe sine vehementia adhiberi debet, nisi incitamento suo simul damnosum sit futurum. Coecae etiam cucurbitae ventosae inter humeros, cervicibus, pectori, regioni claviculae impositae magna utilitate erunt. Si alvus obstructa sit, intervallis, quibus fomenta cessant, applicentur molli-

entes clysteres, oleo multo admixto, et aliquo post tempore leniter incitantes, quam ad rem duas aquae partes et unam partem aceti & vino commixtas prae ceteris omnibus mixtionibus commendo. Intus Cremor Tartari cum Nitro, Digitalis purpurea vel laevigata in pulverem redacta cum saccharo, acidum Tartari essentielle cum saccharo, potus citratus vel succo vaccinii oxycoccus admixto, parvae portiones Tartari tartarisati vel salis Seignette exhibentur. Activa autem haemorrhagia si, ut nonnunquam fit, subito aucta ideoque consumente vasorum vitalitate in passivam vel etiam paralyticum habitum repente transeat, quo in casu tanta sanguinis copia emittitur, ut vultus et labia pallescant, totum corpus, praecique vero facies et extremitates valde imminutam temperaturam ineant et frigido sudore tegantur, oculorum sequatur obscu-

ratio, spiritus lentus, gemens, exhalatus aër frigidus sit et pulsus parvus, debilis vacillans vel trepidans fieri incipiat; tum methodus debilitans confestim omittatur et simul cum contraria sine ulla haesitatione ad haemorrhagiam periculum minitantem sistendam his et externis et internis remediis, quae mox in proponenda medendi ratione passivae haemorrhagiae varium indicare volumus, transgrediendum est.

B. *Passiva haemorrhagia narium:*
Si debilitas cum irritabilitate praeter normam aucta manifesto appareat, methodus sedativa intus adhibetur et mox gradatim cum leniter tonica conjungitur. Eo pertinent accelerata capitis frigida lavatio, tepida pediluvia et semicupia, clysteres ex valeriana vel floribus chamomillae cum semine lini cum oleo et saccharo. Intus Infusum Valerianae cum Elix. acid. Halleri et Syrupo

vel Rad. Caryophyllat. cum Millefolio et acid. Tart. essential. sinapismus cervicibus et suris applicatus; in summo discrimine Moschus cum Valeriana in pulverem redacta, Castoreum cum Sal. ess. Tartar. et sacch. Pulv. Dover. cum Moscho. Si incitamentum biliosum planeprehendatur, tum prius vomitorium et subacida laxantia cum necessariis clysteribus, deinde leniter aromaticae infusiones cum remediis modicae amaritudinis et apta motione corporis. Verminatio requirit cognita anthelmintica intus et in clysteribus cum interpositis lenioribus laxantibus mercurialibus. Ubi obstructiones viscerum abdominalium praesto sunt, methodus deobstruens, quanta est, probatur: Extracta saponacea cum antimonialibus remediis, Extr. Conii maculati vel Chelidonii cum Tartaro emetico et aequalibus portionibus Foeniculi et Rhabarbari, semi-

cupia, clysteres, antispasmodica et incitantia unguenta abdomini apposita; postremo glandes testae cum rubia tinctorum in Decocto, admixtis antimonialibus remediis et Darellii Tinctura Rhabarbari, simul etiam frictio abdominis et zonae roborantibus aromatibus instructae eique circumdatae cum subfrigidis balneis. In haemorrhoidalibus congestionibus Lac et flor. sulphuris cum Crem. Tart. vel sal seignette et oleosacch. foenic. vel Chamomillae; clysteres ex flor. Chamom. flor. Verbasc. Millefol. cum semine lini oleo et saccharo; urgente necessitate hirudines et vapores ad rectum intestinum; ancipiti casu modica etiam sanguinis missio in pede necesse sit. In scorbuto vinum generosum, acidum vegetabile, Extr. turionum pini et trifol. cum Infus. calami aromatic. et Elix. acid. Halleri; Decoct. cort. Peruv. cum vino, acid.

Halleri et Tinctura Cinnam. expeditissima remedia sunt. Haec ultima medendi ratio accommodari potest, ubi morbus indolem paralyticae debilitationis prae se fert, quo in casu admodum vetus fortiusque vinum inprimis commendetur. Ubi vehementes catarrhi occurrunt, diaphoreticae potiones, tepida pediluvia, Rubefacientia in cervicibus, inter humeros, in osse sterni; intus camphora cum saccharo, Ligu. Minderer. cum Vin. antimon. et Tinct. Valerianae aetherea egregiam opem praestant.

Postremum externa topica remedia afferimus, quae enormi periculum minitanti haemorrhagiae sistendae inserviunt. Ubi ejusmodi haemorrhagia existit, cura nostra in eo vertatur, ut confestim cohibeatur. Sunt leniora et graviora ejusmodi remedia. Illa admittenda sunt, ubi alia imminet mala celerioris et absolutae oppressionis

haemorrhagiae timemus; haec contra sine ulla haesitatione et sine minima temporis jactura adhibeantur, ubi copia fusi sanguinis vitae propinquum et certum minitatur periculum, et salus aegroti in eo tantum sita est, quod haemorrhagia quam celerrime planeque sistitur et praecavetur ne mox redeat.

Inter *mitiora* remedia numerantur: frigida fomenta, vultus et scrobiculus cordis admodum frigida aqua adpersi, fomenta contusae glaciei, vel nivis inter duos pannos linteos posita; gelida fomenta circa genitalia masculorum, subfrigidus et purus aër, capite colloque denudatis, gelida aqua cum acidis vegetabilibus vel acido sulphurico, vel potius cum acido Halleri ad potionem; glacies in vino diluta; sinapismi vel consectio crudae cepae cervicibus impositae, constrictio vasorum brachialium

et cruralium; quod vero perniciosius quam utilius eo foret, quia circulatio acrius perturbatur ideoque congestiones et confusiones vitalitatis in systemate vasorum vix effugiendae sunt; solutio aluminata gargazatione serviens. Majoris est utilitatis mechanica pressura, quam agaricus chirurgorum praestat, vel tenue intestinum aqua expletum subligatum inductumque in nasum facit.

In acrioribus remediis ponuntur: solutiones aluminatae, vitriolum album vel vitriolum martis, saccharum saturni, cui solutioni semper purissima et destillata aqua admiscenda, leniter in nasum subducta; nam infusa per siphonem impetu suo jam paratam utilitatem ad nihilum redigere posset; decocta gallae, radicis tormentillae, corticis mali punicae, corticis quercini vel glutinosius decoct. ichthyocollae

gummi Kino et Catechu, in aqua, vel etiam spirit. sal. ammoniac. una portio cum tribus portionibus frigidae aquae, ad eundem usum. Cum iisdem remediis, spiritu ammoniacali forte excepto, humectata linamenta, vel frustula agarici praeparati, spongiae, vel cylindri erioxyli in nasum immissa, quae caute specillo sursum ductenda sunt adeo, ut vaso cruenta certo contingantur. Nasus quoque (quod tamen ad mitiora pertinet remedia) linteo carpto expletur, quod pulvere Gummi arabici vel Gummi Tragacanthi large conspersum est. Secundum *Lofi* Liquorem stypticum, quem intus etiam ad quatuor guttas cum larga potus mucilaginosi quantitate, omni hora dare potes, (*Musetz. Abh. 6 B. C. 624 f. f.*) pulvis a *Griffitho* propositus efficacissimus est. Constat ex hac mixtione: Bol. armenae, Alum. rupei. ā ʒj Sangu. Dracon. ʒj

Colcothar. Vitriol. $\zeta\beta$ M. Hoc pulvere quantum satis est, cum albo ovi commixto linteum ungitur et in nasum tam alte immititur, ut perveniat usque ad orificium quod in fauces ducit, haemorrhagia plerumque ex vasis hujus regionis prorumpente. *Griffithus* hujus medicinae praestantium in crassitudine ejus soliditatis ponit, vi cujus non tam facile ab haemorrhagia proliui potest. Linamenta ipsa si in posterius hocce orificium inducere velis, optime ita fiet. Specilli foramine instructi vel, si opus fuerit, nervi ope longum inducitur filum per nasum in fauces, quod forcipe protrahitur, et linamento fortiter adligato, in posterius orificium nasi tam alte quam velis intro trahitur. Priorem partem nasi linamento etiam expleas. Priusquam vero hoc loco adlatas topicas, praecipue autem mechanice operantes res in nasum immittas, ca-

vum nasi a cruore purgandum, tum remedia, quamdiu res poscat, adhibenda, ut haud dubie haemorrhagia cohibeatur. Fortiter adstringentia et acriora remedia non nisi cogentem necessitate admittenda sunt, quippe quae inflammationes et causas ulcerum nasalium progignere possint; denique omnia omnino differenda, quae sternutationem adferant.

D i a e t a

A. *Activae haemorrhagiae narium.*

Vitandus aer siccior atque incitans. Temperatissimum, immo frigidius cubiculum, simul pedes fovendi, tenuis, non incitans, parum nutritibilis victus; tenuans, subacidus potus; frigide sumtus; erectior, sanguinis circulationem in abdomine et inferioribus extremitatibus nullo modo impediens status, ideoque, si fieri possit, dependentes pedes.

Absint adstrictiores fasciae collares vel angustae tunicae, cingula braccalia, strophia, fasciae cruales. Tranquillitas animi ingeniique nec non corporis quies. Omnia etiam fugienda, quae sensus ultra modum excitent; igitur obscura, subfrigida, strepitu vacua conclavia (multa lux facile sternutationem facit ob conjunctiones quinti paris nervorum) rigidi odores, pulvis, fumus cet. nocent. Sermo, tussis, screatus, vel sonus nasi ejusque omnis contactus et incitatio; risus, fumus tabacarii, praecipue tabaci sternutatorii usus fugiendus. Cura denique adsit ut alvus quotidie exoneretur sine ullo impetu, nec non urina libere reddatur.

B. *Passivae*. Calidius sed temperatissimum tamen cubiculum; paululum incitabilior et nutribilis victus; potio aquae cum vino, quod Medok vocamus. Evitatio serae coenae, nimiae onerationis

ventriculi, infantium aegre concoquibilium ciborum. Somnus diurnus, stomachus et deprimentes affectus perturbationesque animi, nec non omnis a frigore noxa amoveantur. Denique inclinationem vel demissionem superioris corporis cum omni compressione abdominis sedens fugiat, et quotidie abdomen saepius et leniter fricandum. Praeterea hoc etiam loco cetera in usum activae haemorrhagiae data praeccepta valent.